

ribus incipere. Sic Aristotelem cœpisse in Physicis non ab uno, sed à pluribus principijs: nec illa plura principia habere rationem unius: sicuti nec plura vel literarum vel corporum naturalium elementa unius rationem habent: multitudinem sive principiorum, sive specierum, sive affectionum non impedire scientiæ unitatem, dummodo sit unum γένος κοινή μετρία, à quo tanq;am à communi radice omnia pendent: unitatem autem illam subjecti nullum ordinem constituere, qvia illud non est magis primum, qvam ultimum, sed totam scientiam caput, & propterea dicitur adæqvatum, nec relationem ad principium habet, sed omni respectu absolutum est.

21. His ita à nobilissimis ante hæc tempora philosophis, Zabarella & Piccolomineo, disputatis, de cætero inter eos convenit, esse tantum duos ordines, qvorum uterq; descendat ab universalibus ad particularia, & procedat à notioribus: unum syntheticum seu compositivum, qvi progreditur à primis rerum principijs ad illa, qvæ inde constant; alterum analyticum & resolutivum, qvi à notione finis, qvi est obtinendus, & ad cuius γένος omnia referuntur, progreditur ad cognoscenda principia & media, finem illum in certo subiecto certo modo progenerantia.

22. Qvia enim cognitione nostra melior & facilior est finis omnis ordinis, in qvo tota ejus natura posita est, ab eo etiam sumendæ sunt differentiæ ordinem dividentes. Cognitionem autem qværimus aut per seipsum, aut acquisitam dirigimus ad operationem: nec datur tertium sine involutione contradictionis. Propterea si qvæ disciplinæ cognitionem propter se intendunt, ceu sunt theoreticæ, non nisi ordine synthetico conscribi & tradi possunt: qvia si distinctam scientiam comparare volumus, necessariò ordiendum est à principijs primis, & progrediendum ad principia posteriora, & ad ea, qvæ ex principijs constant. Qvæ autem cognitione sic qværunt, ut illam referant ad operationem & aliquujus finis architectonici adeptiōem, qvi operatione illa qværitur, & ad qvem omnia referuntur, ceu est philosophia moralis, omnesq; artes & aliae facultates omnes, qvæ excogitari possunt: in illis necessariò ordine analytico auspicamur ab illius finis notione: & tunc ad investiganda prima principia, à qvibus scilicet postea ordine compositivo operationem inchoamus, & per qvæ finem illum nobis comparamus, procedimus. Hoc est, qvod philosophi jactant: utrumq; ordinem in articulis